

*Æque est ac Parens. Verùm ita falsò sanctitati Regenerationis sanctitas fœderis opponitur. Falsò. Quia imputata Justitia, est Justitia Christi, per quam quidem reipsâ censemur inter Electos Dei; Sed ea non vi fœderis imputatur; verùm per fidem recipitur. Hipocriticè: Quia sanctitas Regenerationis ad mentem Wendel. definita juxta Calvinianos alios est Ens Rationis, vel potiùs Linguæ, cum Sacramento huic omnem Regenerationis virtutem contra conscientiam adimant. Et quamvis negari non possit ipsùm Wendel. gg Verbotenus statuere: Finem Baptismi principalem esse obsignare, & sacramentaliter præbere remissionem peccatorum, regenerationem & unionem cum Christo, quam etiam sequatur unio mutua: notum tamen est quoad rem ipsam aliter longè sentire, dum omnia in mera signa significantia resolvit.*

gg l. 1. Th.  
Christ. c. 22.  
th. 14. p. 362.

§. 6. Chamieri in specie responsio nervum non incidit, tum quia, manet subiectum idem, idemque tempus, ita quidem ut si Infantes sunt à nativitate sub ira, non erunt eòdem temporis momentò, quò sub ira sunt, in gratiæ statu; tum quia respectus ille, quò alter sit à natura, alter à gratia fingitur, non probatur; tum quia licet dicat non esse contradictoria: Nasci Filium iræ obnoxiumque peccato originali, & esse Sanctum atque Filium Dei. Vel ut Wendel. hh aliis verbis effert: non pugnare, fœderatos cum peccato orig. & sanctitate externa ac fœderali nasci, quasi idem Ecclesiæ Civis, & simul peccato orig. inquinatus esse nequeat: constat tamen illud nasci cum peccato orig. de habitu tantùm peccati, non verò de reatu simul illos interpretari, ut ita nasci cum peccati originalis habitu, & nasci Christianum non pugnent, quod mysterium ipse prodidit Wendel. dum ii ait: Sanctitas fœderalis non tollit peccatum originale, cum ne regenerationis quidem sanctitas in hac vita originale peccatum penitus excludat. At ita Infantes non erunt in statu iræ; sed gratiæ, quod absolum.

hh lib. 1.  
Christ. Th.  
c. 10. p. 434.

ii l. c.

§. 7. Obtusum Wendelini telum latus argumenti nostri non lædit, quin Ejus proprium potius collum ferit. *Vel enim stant, quæ de sanctitate Regenerationis protulit, & sic omnes Calvinistas hostes habet, qui Sacramenta pro signo tantùm externo professionis venditant; vel non stant, & sic suam hypocrisin imprudens ostendit. Sed age retorqueamus in ipsa Militis Calvin. viscera ferrum quod in manibus habet: si liberi Fidelium ita nascuntur Sancti, sicutur ex Cive Civis, sequitur omnes sanctorum liberos nasci sanctos non tantùm*